



EAE GRA 6

SESSION 2016

## AGRÉGATION CONCOURS EXTERNE

Section : GRAMMAIRE

VERSION LATINE

Durée : 4 heures

*Les dictionnaires latin-français Bornecque, Gaffiot, Goelzer et Quicherat sont autorisés.*

*L'usage de tout ouvrage de référence, de tout autre dictionnaire et de tout matériel électronique (y compris la calculatrice) est rigoureusement interdit.*

*Dans le cas où un(e) candidat(e) repère ce qui lui semble être une erreur d'énoncé, il (elle) le signale très lisiblement sur sa copie, propose la correction et poursuit l'épreuve en conséquence.*

*De même, si cela vous conduit à formuler une ou plusieurs hypothèses, il vous est demandé de la (ou les) mentionner explicitement.*

**NB :** *La copie que vous rendrez ne devra, conformément au principe d'anonymat, comporter aucun signe distinctif, tel que nom, signature, origine, etc. Si le travail qui vous est demandé comporte notamment la rédaction d'un projet ou d'une note, vous devrez impérativement vous abstenir de signer ou de l'identifier.*

Tournez la page S.V.P.

A

## Une rixe héroïque

*Polynice, banni de Thèbes sous le règne d'Étéocle, vient d'affronter une violente tempête et s'est réfugié aux portes du palais d'Adraste, roi d'Argos. Il est bientôt rejoint dans son abri par Tydée d'Olène, roi de Calydon, expiant en exil le meurtre de son frère.*

Ecce autem antiquam fato Calydona relinquens  
Olenius Tydeus – fraterni sanguinis illum  
conscius horror agit – eadem sub nocte sopora  
lustra terit, similesque notos dequestus et imbræ,  
infusam tergo glaciem et liquentia nimbis                        5  
ora comasque gerens subit uno tegmine, cuius  
fusus humo gelida partem prior hospes habebat.  
Hic uero ambobus rabiem fortuna cruentam  
attulit : haud passi sociis defendere noctem  
culminibus, paulum alternis in uerba minasque                    10  
cunctantur ; mox ut iactis sermonibus irae  
intumuere satis, tum uero erectus uterque  
exertare umeros nudamque lacescere pugnam.  
Celsior ille gradu procera in membra simulque  
integer annorum, sed non et uiribus infra                        15  
Tydea fert animus, totosque infusa per artus  
maior in exiguo regnabat corpore uirtus.  
Iam crebros ictus ora et caua tempora circum  
obnixi ingeminant, telorum aut grandinis instar  
Rhipaeæ, flexoque genu uacua ilia tundunt.                        20  
Non aliter quam Pisaeo sua lustra Tonanti  
cum redeunt crudisque uirum sudoribus ardet  
puluis ; at hinc teneros caueae dissensus ephebos  
concitat, exclusaeque expectant praemia matres :  
sic alacres odio nullaque cupidine laudis                        25  
accensi incurunt, scrutatur et intima uultus  
unca manus penitusque oculis cedentibus intrat.  
Forsan et accinctos lateri – sic ira ferebat –  
nudassent enses, meliusque hostilibus armis  
lugendus fratri, iuuenis Thebane, iaceres,                        30  
ni rex, insolitum clamorem et pectore ab alto  
stridentes gemitus noctis miratus in umbris,  
mouisset gressus, magnis cui sobria curis  
pendebat somno iam deteriore senectus.  
Isque ubi progrediens numerosa luce per alta                    35  
atria dimotis aduerso limine claustris  
terribilem dictu faciem, lacera ora putresque  
sanguineo uidet imbre genas : « Quae causa furoris  
externi iuuenes ? Neque enim meus audeat istas  
ciuis in usque manus ; quisnam implacabilis ardor            40  
exturbare odiis tranquilla silentia noctis ?  
Vsque adeone angusta dies et triste, parumper  
pacem animo somnumque pati ? Sed prodite tandem  
unde orti, quo fertis iter, quae iurgia ? Nam uos  
haud humiles tanta ira docet, generisque superbi            45  
magna per effusum clarescunt signa cruorem. »

Stace, *La Thébaïde*